

LIBER SECVNDVS.



De varijs nominibus Capitolij. CAP. I.

DOSTQVAM Urbis situm, variumque ipsius ambitum descripsimus, murisque, ac portis eum sumus complexi: reliquum est vt eo ordine, qui praecessit, quid, quodue tempore, & à quibus, singulis in locis sit excitatum, indicemus. Exordiamur itaque, tanquam à capite, à Capitolio; quod, ante urbem conditam, ab antiquo oppido nomine Saturnia, sub ipso monte existente: Saturnium montem appellatum memoriae prodidit Var. Plinius, Saturnia, inquit, vbi nunc Roma est, Antipolis vbi Ianiculum, in parte Romæ. alij verò quòd Saturnus ibi habitauerit. vt Virg. his carminibus.

Hac duo praterea dissectis oppida muris

Reliquias, veterumq; vides monumenta virorum.

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem,

Ianiculum illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Sex. Pom. ait Saturniam Italiam, & montem, qui nunc est Capitolinus, Saturnium nuncupatum: quòd in tutela Saturni esse